
This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

GoogleTM books

<http://books.google.com>




Crane: Oratio de I. Mauritio.....

1800

2347 d. 3





Viro Doctiff. Plun Vener.

M. Stuart

on . a .

I O. G U I L. D E C R A N E
O R A T I O

D E

IOANNE MAURITIO NASSAVIAE PRINCIPE

COGNOMINE AMERICANO.

habita publice in Athenaeo Frisiaco, cum
Rectoris Magnifici munere abiret,

a. d. xvi Octobris c1510ccccvi.

1

*Dudum habita fuisset haec Oratio, legitimo tempore, post
ferias maiores finitas, nisi visum Amplisf. Curatoribus,
magis opportune hanc solemnitatem differri in diem illum,
quo vir Clarisf. P. G. S. VAN BREDA Professionem Botani-
ces, Chemiae et Pharmaceutices auspicaretur, quod factum
denum h. d. XVI Octobris.*

FRISIAE GUBERNATOR, VIR ILLUSTRIS-
SIME!
GRAVISSIMI ATHENAEI CURATO-
RES!
PROFESSOR HONORARIE! CETERIQUE PROFESSORES
CLARISSIMI! — COLLEGAE CONIUNCTISSIMI!
QUOTQUOT PRAETEREA ADESTIS, CUIUSCUNQUE OR-
DINIS, LOCI AC DIGNITATIS, GRATISSIMA AUDITO-
RUM CONCIO!
VOS DENIQUE BONARUM LITERARUM STUDIIS CONSE-
CRATI IUVENES!

Athenaei moderamine qualicunque abiturus duplex officii mihi munus exsequen-
dum reperio, partim necessarium, partim magis voluntarium. Placuit scilicet
Augustissimo Regi, ut, qui quotannis in exitu Magistratus Academici pro con-
cione verba faciat, is anni sui facta et eventa, ad rem literariam memorabilia,
dilucide exponat; ceterum Oratori integrum sit, alicuius argumenti tractatio-
nem, ut maxime commodum visum, coniungere. Hoc igitur exemplum et ego
nunc secutus, primum, quae per breve illud temporis spatium, quo Magnifico
saltem titulo uti mihi fuit concessum, Athenaeo huic Publico laeta aut tristia
evenerunt, narrabo.

Athenaeum Frisiacum, ex AUGUSTISSIMI REGIS decreto Franequerae con-
stituendum, Vir gravissimus ADRIANUS GILLES CAMPER, qui Amplissimo
Curatorum Collegio praesidet, die XXVIII m. Decembris anni superioris, maxima

cum caerimonia inauguravit dedicavitque, eleganti illa Oratione, quae nunc in manibus est omnium. Fuit dies ille festus summa cum omnium laetitia actus, epulis solemnibus celebratus, maxime vero illustratus praesentia Gubernatoris, quo gaudet merito Frisia, viri nobilissimi, Maecenatis Musis amicissimi; comitantibus Ordinum Delegatis; accedentibus Magistratibus Urbanis. — Natalis igitur ille dies videri debuit.

At vero iam mensē ante, qui hac in urbe remanserant Medicinae, Literarum et Scientiarum Profesores, in Academiae suae, indigne eheu! evercae, tanquam ruderibus adhuc haerentes, hi igitur, quamquam honore, si pristinum statum respiciant, deminuti, tamen restituti magis quam vocati, numero quinque, solitas olim scholas, suas quinque, aperuerant; — in his WASSERBERGHIUS, nostri ordinis Nestor, iuvenili prope ardore, sua sponte et voluntate, quamquam rude donatus. — Atque sui erant cuique discipuli, qui in Albo iam nomina profesfi fuerant.

Ipso autem Dedicationis die Viri Clarissimi WESSELUS ALBERTUS VAN HENGEL et HENRICUS ARENTIUS HAMAKER, ad quae vocati, munera auspicati sunt; ille Theologiae Professionem Oratione *de Elementis Disciplinae Theologicae bene et diligenter pertractandis*; hic Literas Orientis interpretandi officium, verba faciens *de Graecis Latinisque Historicis medii aevi ex Orientalium fontibus illustrandis*.

Sub exitum mensis sequentis Vir Clarissimus GABINUS DE WAL Iuris docendi provinciam suscepit, inquirendo, *an turbatae Reipublicae, et oppressae libertatis, quae viximus tempora, Iuri et Iustitiae profuerint*.

Iam igitur Docentium ordo constabat plenus et integer; Studioforum numerus crescebat supra quam hac tempestate sperari poterat. Ita bonis auspiciis multum in studiis iam ponebatur curae et operae.

Sed ô fortuna! ut nunquam perpetuo es bona! Exeunte mense Aprili, Vir optimus, CHRISTIANUS ALLARDI, ab undeviginti inde annis Chemiae Pharmaceuticae, Botanices, Pathologiae et Medicinae practicae in Academia Franequerana Profesor laude dignissimus, qui, septuagenarius fere, hoc, denuo sibi mandatum, docendi munus alacriter susceperat, ex improvise apoplexia opprimitur, qua loquendi cum maxime facultas impedita. Casus tam subitus tam gravis afflixit omnes, amicos, cives, exteros. Amant nimirum senem et veneratione prosequuntur, quicumque praeclarum viri ingenium, insignem artis Me-

dicae peritiam, promptum et alacrem ad iuvandum animum norunt, norunt autem experti innumeri, tum et singularem comitatem, facilitatem, indolem ad bene de quovis merendum factam. Utinam aliquando convalescat venerandus senex, recuperetque valetudinem, nisi pristinam, saltem bonam satis et commodam, multisque profuturam!

Quo minus tamen hic casus Athenaeo interea noceret, benignissime placuit REGI AUGUSTISSIMO evocare Virum Clarissimum IACOBUM GYSBERTUM SAMUELEM VAN BREDA ad Professionem Botanices, Chemiae et Pharmaceutices. Cui iam praesenti, munusque feliciter auspicato ex animo gratulor.

Intelligitis AA! omni Disciplinarum generi, quibus ad veram illam Doctrinam pervenitur, qua Lauream quisquam Doctoralem, licet non consequi, hic certe mereri possit, satis superque esse provifum.

Praeterea vero, ne ad Linguarum, quibus hodie utimur cognitionem, ad Artium, quibus a pulchro nomen est, ab utilitate et iucunditate commendatio, culturam nobis quidquam deesset, sedulo operam dederunt, effeceruntque Athenaei Curatores, ut cum Linguae Francicae, Anglicae, Germanicae, tum Picturae maxime linearis, denique et Musicae artis Magistros, in suo quemque genere, habeamus aut habituri simus excellentes.

Denique non possum non commemorare, quod nuperrime laetissimum nobis acciderit, ut, cum e Regis decreto ab Academiis Quaestiones Studiofis propositae sint, primo statim certamine, Athenaei nostri alumnus, FRANCISCUS BINXES, Iuris Studiosus, scripta *de Senatus Romani auctoritate* disputatione, destinatum apud Groninganos ab Ordine Philosophiae theoreticae et Literarum humaniorum praemium, eiusdem Ordinis iudicio, Victor digne reportaverit. — Quod quidem omen accipiens ego et iuveni praestantissimo et Athenaeo publice gratulor.

Atque haec quidem nunc de rebus huius anni mihi erant dicenda.

Accedo ad alteram illam hodierni officii partem, ut more maiornm solemnem Orationem habeam eiusmodi, quae nec Vobis AA! ingrata, nec a mea sit persona aliena.

Igitur mecum ante reputans, quam iucundum sit in illorum temporum redire memoriam, quibus maiores gloriam sibi, posteris salutem parabant, Virorumque illustrium praeclara facta audire, operae praetium facturus mihi visus sum,

si Heroem nunc celebrarem multis modis insignem; cuius et memoria cum Frisia nostra, quam ab hostibus defendit, cum Academia Franequerana, quam fiducia sua honoravit, cum hac ipsa urbe, quae nominis casusque viri monumenta servat, omnino sit coniuncta, IOANNEM MAURITIUM NASSAVIAE PRINCIPEM, *Cognomine AMERICANUM*.

Ne tamen a me expectetis AA! iustam tanti Viri laudationem et gravem et ornatum: ego, quod mea fert dicendi tenuitas, simplici potius narratione defungar; quam quidem benignis ut auribus animisque excipiat, AA humanissimil etiam atque etiam Vos rogatos velim.

Ante vero paululum mulceant, quin excitent musci soni modique, temporum, in quae redibimus, tanquam consocii memoresque.

Quibus temporibus maiores nostri, Nassaviorum cum maxime auspiciis, in libertatem sese vindicabant, antiquissimae illius magnisque virtutibus per Germaniam Belgiumque dudum inclytæ domus stirps Ottoniana in duas abierat familias, duobus a fratribus Guilielmo Auriaco Principe, et Ioanne Nassaviae Comite oriundas.

Illam quidem familiam Nassavio-Auriacam, eundem generis, quem Patria libertatis, auctorem habens, in Hollandia sede posita, in tanto perstitit gloriae fastigio, ut ei totius Reipublicae et vindicandae et stabiliendae negotium a Supremo Numine datum et tributum esse, haud obscure intelligeretur. — Vel sic tamen iam in praecepto, Guilielmo III, Heroem haec defecit progenies.

Altera vero familia, partim in Germania priscis sedibus, partim in Frisia nostra confidens, haud minus generosa indole, belli pacisque artibus dedita, per eadem illa tempora, cognatis suis in communi libertate tuenda constanter adfuit, et, quamquam secundariam, eximiam certe Reipublicae operam praestitit. Quin Frisiaca Nassaviorum prosapia, Hollandicae aemula, quam Frisii, ut suis inprimis rebus praeesse gaudebant, sic studio semper ingenti, amore, honore prosecuti sunt, summa constantia coluerunt, ut propriam indigenamque foverunt, — quae singularis est, nec unquam aut inficienda aut eripienda, Frisiorum gloria, — haec igitur Frisonum domus, ut iam tum communem Patriae salutem promovere, famam augere, pericula propellere, in summo etiam rerum discrimine, annixa fuit; sic olim volventibus annis ad summum gloriae et potentiae culmen erat perventura. Scilicet et Hollandicae et Germanicae fa-

miliae aliquando superstes, Auriacique nominis heres; primum difficili tempore Universae Reipublicae Statorem, Gubernatorem, terra marique Ducem datura; iterumque, post horrida civilis discordiae peregrinaeque tyrannidis mala, perditae Patriae Vindicem omnium votis redditura, qui, quae nostri est temporis felicitas, Regia Maiestate omnia temperaret, lateque in cunctas Univerſi Belgii gentes acciperet Imperium.

Sed ut, unde digressus, eo revertar. IOANNES ille Nassaviae Comes, Guilielmi I Auriaci frater, *Senior* cognomine dictus, Gelriae Gubernator, numerosissima probe beatus fuit. Ex filiis autem tres nobis memorandi, GUILIELMUS LUDOVICUS, primus ille Frisiae Gubernator, Academiae quondam nostrae conditor; ERNESTUS CASIMIRUS, fraterni Honoris heres, familiae Nassavicae Frisonum auctor et princeps; denique et IOANNES nominis huius *secundus*, à quo Germanica familia, quae *Siegenſis* dicta, originem traxit.

Hoc igitur Ioanne II patre, matre vero Margareta Ducis Holfatiae et Sleesvici filia, IOANNES MAURITIUS, cuius memoriam celebrare institui, natus fuit Dillenburgi seculi decimi septimi anno quarto.

A puero ad arma bellicae scientiam informatus, tum vero et in illustri schola, quam avus non ita multos ante annos Herbornae condiderat, atque in Academiae deinde, cum Basileensi tum Genevensi, literis disciplinisque egregie instructus, per omnem vitam belli studia cum optimarum artium amore sic coniunxit, ut dubium videri posset, utrum praeclaris heroicisque facinoribus illustrior fuerit, an vero pulchri venustique sensu, artium iuvandarum cura, eximio erga Viros literatos artificesque favore amabilior.

Iam admodum iuvenis nostrae se patriae dicavit, monitu et exemplo parentis; atque ab anno seculi decimo octavo copiis nostris adscriptus, primum sub patruo Guilielmo Ludovico miles praetorianus hastam tulit, deinde variis ita sanctus fuit muneribus, ut initio vexilla gereret, mox centurio cohortem duceret, sensim vero et probatus magis et auctus dignitate ad summos tandem in exercitu adscenderet honores.

Prima tirocinia eques posuit in expeditione illa in Palatinatum, ad Germaniae Principibus opem ferendam, adversus Marchionem Spinolam suscepta, anno seculi vicesimo. Sequenti autem cum tempus induciarum exierat, bello cum Hispanis instaurato, quae pro libertate deinde praeclare gesta fuerunt, iis fere interfuit Ioannes Mauritius, strenui militis prudentisque Tribuni partes

excellso animo sustinens. Maxime vero conspicuum se posthac fecit claris illis obsidionibus Grollae, Sylvaeducis et Venloae. Ruremundae expugnatio, ut patruo eius Ernesto Casimiro vita, sic ipsi sanguinis dispendio stetit, neque hoc tamen impedire potuit, quo minus nobilissimae illi Traiecti ad Mosam oppugnationi mox ita interesset, ut in magnam gloriae a felici successu partem veniret; scilicet irruentis in stationem suam Papenheimii ducis impetum fortiter et sustinens et repellens, dum urbs caperetur. Deinde et in Rhenobergae expugnatione haud spernendum eius auxilium fuit. Posthaec vero illius praecipue opera et consilia factum est, ut frater eius germanus Guilielmus Nassaviae Comes, castrorum praefectus, Schenkii in Rheno munimentum, quod Hispani astu ceperant, nunc operosa quamvis obsidione tandem recuperaret; qua obsidione globulo, pileo traiecto, Mauritius noster capite ad aurem vulneratus est.

Magnam belli gloriam sic consecutus erat, maiorem tamen et fortitudinis, et vero prudentiae, consilii, animique moderationis laudem assequendi sese mox occasio obtulit: praeclarae eius virtutes amplissimo spectatae sunt theatro. Ad exemplum Societatis Indiae Orientalis, paucos ante annos, Societas Africana et Americana, sive Indiae Occidentalis, solemnī diplomate stabilita fuerat, caeperatque laete iam florere. Lusitani, olim sui iuris, nunc ab Hispaniis subacti, communi cum his odio pro hostibus habebantur. Illi vero dudum Brasiliam, Americae Australis regionem, sacchari, ligni tinctorii, aliarumque magni pretii mercium proventu ditissimam, Coloniae occupaverant. Cum igitur belli causa lucri studio faveret, opulentissimam hanc regionem hostibus eripiendi consilium a nostratibus coeperat agitari et vero perfici. Prima quidem alteraque expeditione parum profecerant; mox tamen ex ingenti illa, quam Petrus Heinus, Hispani ereptam, in Societatis aerarium retulerat, praeda auctis animis viribusque, tertia eaque prospera magis expeditio, anno seculi tricesimo facta fuerat. A quo tempore, urbe Olinda capta, vicinoque tractu occupato, latius inde progressi nostrates intra sexennium magnam Brasiliae partem in ditionem redegerant. Sed iam maioris dignitatis dux et auctor opus erat, qui parta teneret imperio, regeret consilio, temperaret ratione, defenderet constantia, augeret prudentia.

Atque talis quidem iis, qui rebus praeerant, tum visus est Ioannes Mauritius, tricesimum tertium aetatis annum agens. Illi igitur Brasiliae Belgicae Praefectura, summa cum omnium de prospero successu expectatione, anno

seculi tricesimo sexto, decernitur. Cui expectationi si quando minus satisfecisse existimaretur, id non culpa eius factum est, sed partim temporibus, partim Curatorum Societatis consiliis minus providis, maxime vero incolarum perditis moribus atque perfidiae tribuendum.

Enimvero ille Provinciam per octennium sic administravit, ut militiam disciplinam, civitatem legibus ordinaret; terminos imperii proferret, dignitatem tue-
retur; Brasilianos indigenas, Lusitanos colonos, Belgasque advenas, aequo iure, summa moderatione, regeret, inter se conciliaret; tum vero omnia strenue gerens, loca opportuna arcibus muniret, hostes bello persequeretur; deficientes in ordinem redigeret, seditiosos prudenter coerceret. Varias aut suscepit expeditiones aut iussit, maxime maritimas, quibus cum aliae in America regiones aut tentatae fuerunt, aut etiam occupatae, tum vero in Africa arx Mina, praecipuum Hispanorum robur ac praesidium, in nostram potestatem, eamque perpetuam, est redactum. Quin omnia boni et Ducis et Praesidis Officia exsequens Mauritius mercaturae quoque commoda nostrae in longinquis his terris ita promovit, ut cum privati homines, quibus ex sententia eius integrum quoque fuit quibusdam mercaturae generibus ibi negotiari, tum ipsa inprimis Societas, uberrimos inde fructus perciperent.

Interea anno seculi quadragesimo, Lusitani in Europa Hispanorum iugum excusserant; inde cum Belgis inducias in decennium pacti fuerant. Res ea, primum fama, mox certis nunciis allata, magno nostris emolumento fore videbatur; nec fuit tamen. Ex eo enim tempore Lusitani et Brasiliani nostro inviti parebant imperio. Hinc maiores indies molestias expertus Mauritius dolos eorum et perfidiam haud minus, quam Hispanorum apertam vim et impetum, metuebat; quibus omnibus ut resisteret, nec copiae ipsi nec clasces suppetebant. Itaque facile praevidens res retro lapsuras, nisi efficaciora mitterentur subsidia, haec acrius poscere, flagitare coepit; nec tamen optimis his consiliis tunc satis fuit obtemperatum.

Brasiliae Praefectura in quinquennium data fuerat; quo dudum exacto, cum semel iterumque vacationem a munere rogasset, nec impetrare potuisset, iam denuo de reditu in patriam instare, urgere coepit. Cuius tandem facultatem ille nactus, summa rerum Senatui tradita et commendata, regiminis formula in posterum praescripta, malorumque remediis, quantum fieri posset, paratis, octavo post anno quam advenerat, de Provincia sua, quam maxime apta ex-

plicataque, decescit, atque mense Iulio anni quadragesimi quarti, classe ad patria litora appulsa, rediit, maris incommodis aeger, sibi quidem opes paratas, tot laborum praemium, domum referens, Patriae vero immensas divitias, cum quae navibus vectae varii generis merces vices sex centenis millibus florenorum aestimarentur.

Hagae Comitum laeti exceperunt Principes cognati, summi Reipublicae Magistratus, Societatis Rectores; cumque de rebus Brasiliae in conventu Ordinum copiose retulisset, publice pro re bene gesta illi actae sunt gratiae; privatim memori tot meritorum favore *Americani* cognomen tributum.

Nec defuerunt tamen calumniatores, partim prodigientiam obiicientes, partim inculantes, quod minus severus aliquando in imperio fuerit, quam criminum atrocitas, duraque gentis indoles postulare. — Verum si sumtus largiores in opera publica fecerit Comes, id magnificentiae studio, quo ducebatur, tribuendum, atque in tantis divitiis, quibus tum Brasilia affuebat, nisi laudandum, certe facile excusandum. Alterum vero crimen, cum magis animi, ceteroquin heroici, bonitatis, lenitatis, clementiae, humanitatis sit testimonium, haud magnopere ipsi vitio vertendum videtur. Neque has suspiciones quidquam apud Proceres, idoneos rei iudices, valuisse, sane luculenter inde patet, quod, cum res nostrae in Brasilia, ut praeviderat et praedixerat Comes, graviter deinde afflictae iacerent, ipsum Proceres illi non tantum continuo in consilium adhibuerint, sed et unum omnium esse censuerint, qui opera sua succurrere, qui rem posset restituere, adcoque, triennio post reditum, sollicitaverint, ut iterum Brasiliae Praefecturam susciperet. — Quod cum sibi persuaderi haud pateretur, consiliis tamen, quantum posset, iuvare non destitit.

Ceperat iam animum eius patriae dulcedo; ceperat cognatorum familiariumque consuetudo, maxime vero spes novorum honorum, quibus digne gerendis partam iam gloriam non tueretur solum, sed augeret, cumlaret. — Quod quam prospere ipsi succederit, nunc videndum AA!

Quamquam his temporibus et Belgae et Hispani sensim videbantur ad pacem inclinare, quo tamen honestior haec inter arma pararetur, bellum haud segnius administrabat Fridericus Henricus Auriacus Princeps. Mauritium igitur nostrum quiescere nec vigor aetatis sivit, nec pristinae gloriae recordatio, si modo dignum in exercitu locum inveniret. Is vero brevi obtigit, cum *Magistri Equitum* vicaria dignitas honorifice in eum conferretur, cui mox accessit

Vesaliae Praefectura militaris, quam urbem, ex pacto cum Electore Brandenburgico, praefidiis tum tenebant Belgae.

Erat hoc tempore Elector Brandenburgicus Fridericus Guilielmus, qui iuvenis quondam a patre in Hollandiam, belli artes sub Friderico Henrico discendi causa, missus, per triennium magnam cum Auriacis familiaritatem tunc contraxerat, cuius nunc memor anno quadragesimo sexto rediit, filiamque Friderici Henrici Auriaci natu maiorem, Ludovicam Henricam, felici sibi iunxit conubio. Hic igitur Elector cum vicinum Cliviae Ducatum ex hereditate dudum controversa teneret, Ioannis autem Mauritii Comitis, quem et iuvenis forte noverat, praeclaras dotes nunc perspectas haberet, huic, anno sequente, *Ducatus Cliviae, Principatus Mindensis, Comitatusque Marcae et Ravensbergue* vicariam administrationem cum titulo Consiliarii et *Gubernatoris* obtulit. Quo munere perquam honorifico Mauritius triginta per annos, ad mortem usque, summa cum laude ita functus est, ut et Belgis simul et Clivensis carus et acceptus, neque illis ulla in re defuerit, neque horum unquam commoda neglexerit.

Idem vero hic annus, quo Clivensem Praefecturam accepit, ut Patriae universae, ita et Mauritio inprimis luctuosus fuit morte Friderici Henrici Auriaci, quem toties in bello secutus fuerat, quocum ab adolescentia sua coniunctissime vixerat. — Iamque tertio deinde post anno, eiusdem quoque filii, Guilielmi II Auriaci, in ipso aetatis flore extincti, exsequias prosequi debuit.

Cum igitur iam nullus ex Auriacis esset, qui in Hollandiae ceterarumque, praeter solam Frisiam, regionum Praefectura succederet, ad se quoque pertinere petitionem huius dignitatis censuit Mauritius, quam et cognatus eius Guilielmus Fridericus, Frisiae Gubernator, ambibat, et Brederodius, summa ille generis antiquitate nobilis. — Ne quisquam tamen eorum repulsam adeo tulisse videatur, fecit mutatus tunc in plerisque regionibus Reipublicae status et forma.

Sed iam dudum a bellis cessabatur. Pax Monasteriensis plerisque otium fecerat Europae gentibus populisque. Hoc igitur otio, hac honestissima vacatione et sibi perfruendum duxit Mauritius; pluresque per annos nunc Cliviae nunc Hagae degens, nunc in urbis celebritate versatus, nunc ruris nemorumque amoenitate captus, inter artium pulcherrimarum delicias, aut studiis venandi invigilans, in magno opum splendore, civibus, amicis, sibi vixit. — Auctus interea insignibus quoque Honoris Titulis.

Et primum quidem anno quinquagesimo quarto seculi, ipso quinquagesimo aetatis eius, beneficio Ferdinandi III Caesaris, publico Diplomate ad dignitatem *Principis Imperii* fuit eVectus et ad Comitiam vocatus; — mox et Friderici III Danorum Regis munere equestribus *Ordinis Elephanti* insignibus condecoratus; — tum vero, commendante Patrono, Electore Brandenburgico, eodemque Borussiae Duce, inclyti *Ordinis Sancti Ioannis Hierosolymitani* per Marchiam, Saxoniam, Pomeraniam et Vandaliam *Magister* creatus, atque illustri illa *Sonneburgi Praefectura* donatus.

Cum veris initio anni quinquagesimi septimi Ferdinandus III Caesar e vita excesserat, ad comitia Electoralia, die quarto Augusti, Imperatoris creandi causa, Francofurtum indicta, Electoris Brandenburgici *Legatus* Ioannes Mauritius Princeps cum splendido pompae apparatu profectus est. Mandatum negotium tanta cum dignitate geslit, ut in difficili illo confesfu, inter summa partium disfidia, auctoritate, constantia, prudentia tandem effecerit, ut, mense Iulio sequentis anni, Leopoldus Austriaeus, ut in votis erat, legeretur, solemniq; more inauguraretur.

Hoc perfunctus honore ad solitam vitae rationem placidam rediit Mauritius. At vero paucis post annis graviter eum afflixit funus familiare, et per se acerbissimum, et eventu ipsi prope fatale. Guilielmus Fridericus Nassaviae Princeps, Frisiae Gubernator, Mauritiu nostri patruelis, anno millesimo sexcentesimo sexagesimo quarto, sclopi periculum facturus, miserabili casu vulneratus ex vulnere occubuerat. Ad huius igitur exsequias cohonestandas sub finem anni Leovardiam venerat Mauritius. Iustis solutis cum Hagam repeteret, ille cum suo comitatu, numero viginti duo, omnes equis vecti, per urbem nostram Franekeram iter faciunt, die martis sexto Ianuarii anni sexagesimi quinti. Portam ab ortu intraverant, hora post meridiem secunda. Recta plateam emensi pontem, qui prope Orphanotrophium fossam iungit, sursum tunc versatilis, et a portorio solvendo nomen habens, hunc igitur pontem iam occupant; ipse Princeps ferme transiit, cum, en, pons oneri impar, cardinibus laxatis, subito rumpitur. Qui pone subibant equites statim in aquam decidunt, viri equis permixti, numero quinque. Mauritius pendens, et arrepta catena aliquamdiu reluctant, at lubrica pontis iam inclinati declivitate male nixus, mox supinus cum equo revolvitur, et, dum reliqui subvenientium auxilio incolumes iam evadunt, ille superincumbentis equi sui pondere presus, pectore laeso, in coenum de-

mergitur. Exsertam tandem manum agnoscunt qui moesti circumstant. Iamque spem inter et metum dubii, sinistro pede correptum Principem, foedum luto et sanguine extrahunt in ficcum, incerti spirantem adhuc an conclamatum, donec ille oculos attollens, in genua procumbens, palmas ad coelum tendens, intuentibus et audientibus omnibus, Deo Immortali sinceram pro salute gratias agat. In proximam domum a suis deducitur, omni cura refocillatur; atque monitu medicorum vena secta, remediisque adhibitis, structo ceterum lecto fovetur.

Florebat his temporibus Academia nostra discentium numero, docentium fama; et vero florebat singulari Nasfaviorum Principum favore. Ipse Mauritius ante sexennium diligenter eam lustraverat, gratamque mirae comitatus suae memoriam apud omnes reliquerat. Audito igitur optimi Principis casu, commoti mox adfunt Profesores, dolorem suum significantes, si quid possint, iuvare parati. Adfuit et, nuncio accepto, postero die Vidua Princeps Albertina Agnes Auriaca, carissimo cognato alloquii solatium praebens.

Ille vero aeger iacebat, et, in mortis periculo versari sibi visus de Testamento faciendo cogitat. Perscriptum ex voluntate, sigilloque obsignatum, Senatui Academico tradi iubet. Igitur octavo post casum die, Philippus Ernestus Vegelin a Claerbergen et Philippus Heringh, ille defuncti nuper Principis Aulae Praefectus, hic eidem a tabulis, atque Petrus Rudolphi, Notarius publicus, civitatisque Franequeranae Tribunus; hi igitur triumviri tunc, nomine Principis Ioannis Mauricii, in Curia Academiae, testamentum Rectori ceterisque Profesforibus solemniter actu tradiderunt, rogantes, ut illud in Tabulario depositum sedulo servare velint, ubi opus deinde exhibeant.

Ipsi vero Testatori contigit repetere quinto post anno, cum humanissimis ad Senatum datis literis, ut remitteretur sibi, rogavit; recepto pro fidei curatione gratum declaravit animum.

Scilicet, omnium bonorum gaudio, brevi nunc convaluit Princeps. Servato destinaverat maiora Providum Numen. Mari iam bellum cum Anglobritannis gerebatur; terrestre mox accesit, quod, concitore Angliae rege, Monasteriensis intulit Episcopus, his temporibus satis difficile. Exercitui *summo cum imperio* nunc praeficitur Mauritius huius anni mense Iulio. Proximo auctumno Monasterienses, variis Gelriae locis occupatis, Transsalianam, agrosque Groninganos invadebant; captaque ab iis Winschota, iam urbi Groningae timebant

nostri. At fortiter rem contra gessit Ioannes Mauritius. Atque in annum quoque sequentem illi prorogatum erat imperium, cum mense Aprili, conciliatore Electore Brandenburgico, pax aequis legibus Cliviae cum Antistite composita. Gaudebat sic parta pace Mauritius; gaudebat et de Anglis mox reportata, acerrimo quadridui certamine, victoria maritima, quam Ruitero per epistolam ex animo gratulatus est.

Pax Bredana tandem, anno sexagesimo septimo, bello cum Anglis finem attulerat, haud tamen Patriae securitatem. Domi gliscebant intestina discordia; foris a Gallis metus. Utrique malo obviam ire videbatur Wittii prudentia. Hoc rerum statu, ut esset, cui summa rei bellicae mandaretur, placuit duos creari *Castrorum Praefectos*, (Mareschalcos vocant) alterum quidem Paulum Wirtzium, qui in Suecorum exercitu magna cum laude militaverat, alterum vero, sed *honore priorem*, Ioannem Mauritium.

Ast huius senectuti tempestas est oblata formidolosissimi temporis. Intus Procerum disensionibus factionumque studiis concussa Respublica, extrinsecus ab infestissimis petebatur hostibus, mari Anglis, terra potentissimo Gallorum rege, conspirantibusque Colonienſi Praefule et Monasterienſi; iisque rapidissimo cursu Gelriam invadentibus, Transilalaniam cum Frisiae tractu contiguo, Groninganos agros, Traiectinam dioecesin, partemque Hollandiae. Tanto rerum discrimine spes una salutis in Auriaco Principe Guilielmo Henrico ponebatur, nec falsa eventu. Ille enim aetate florens, primum Dux summus et Rector exercitui datus, mox et ad aviti honoris fastigium evectus, Patriam, propitio Numine, invicta sua virtute periculo eripuit.

Hoc igitur, quem puerulum iam foverat, nunc Dux et Auspice laetus Mauritius Senex, ubicunque posset prodesse, consilio, virtute, auxilio, nusquam defuit. Scilicet cum Belgii communem sortem dolens, tum Vefaliam suam Cliviamque dilectissimam a Gallis sibi ereptam indignatus.

Itaque primum anno septuagesimo secundo cum exercitus parte ad Doesburgum in Isalae ripa excubuit. Irruenti deinde hosti Mudam oppidum in tempore occupando praeripuit. Et hic et Vefopi copias paratas habuit, quibus Gallos loco munito, quem prope Gravelandiam ceperant, ter expulit. — Haud tamen infanae plebis calumniam effugere potuit, tanquam proditoris conscium, Amstelodami, conviciis eum prosequentis. Qualem indignam contumeliam, eodem fere tempore, integerrimus Ruiterus pati debuit.

Sequenti autem anno Mauritius copiis in silvestri Frisiae tractu cum Imperio praefectus, Legatum habens Ioannem Guilielmum ab Aylva, Tribunum maxime clarum, comitante item Henrico Casimiro Principe tum adolescente, tirociniumque in castris ponente, Frisiam nostram ab aggredientibus continuo hostibus fortiter defendit.

Postremus belli labor fuit atrox illud ac cruentum ad Seneffiam praelium; cui, e gravi nuper morbo convalescens, interfuit, consilii maturitate senectam testatus, ceterum pugnandi ardore iuveni similis. Unde salvus et incolumis ubi rediit, iam septuagenario maior, reliquum vitae otio transegit.

Hactenus AA! Mauritium bellica maximo virtute illustrem vidimus; quae quidem virtus bellica cum miseria humana sic est penitus coniuncta, ut nisi in aerumnis illa non vigeat, ne optimam quidem causam absque suorum aliorumque perniciem defendat; hoc rerum humanarum statu necessaria magis quam bona; nec laudanda unquam, nisi clementia animique mansuetudine omnino temperata. Mauritium vero et his et aliis multis dotibus praeclaris, placidis iis et humano generi salutiferis, excelluisse, cum saepius iam attigi, tum diligentius nunc est explicandum. Quae quantae in eo fuerint, utinam digne satis praedicare possim. Pro laudatione speciminum enumerationem mea mihi suadet oris infantia.

Atque primum quidem Prudentiae Civilis documenta in Praefectura Brasiliensi fuerunt Leges eius et Edicta, quibus de Magistratibus, Iudiciis, Poenis; de Notariis; de Matrimonio; de Orphanorum cura; de certaminibus singularibus; de mercantium fraudibus; de re frumentaria, annona et commeatu; de ponderibus et mensuris, de moneta, atque innumeris aliis id genus rebus, singulari solertia cautum fuit et prospectum.

Tum et sapientia apparuit in religionis Christianae cultusque publici cura, quam habuit praecipuam, illius inter Brasilianos propagandae auctor et hortator, scholas instituens ad pueros moribus formandos, doctrina Christiana imbuendos. Reformatae quidem ipse formulae fautor, raro tamen hac tempestate moderationis exemplo, Lusitanis Catholicis integram conscientiae libertatem, sacra sua et instituta illibata reliquit; in Iudaeos summa simul indulgentia usus est; Brasilianos barbaros humaniter semper habuit.

In Clivenis Praefecturae administratione Politica prudentia patuit, qua civi-

tatem belli malis exhaustam, paucorum annorum spatio, ad laetissimum florem adduxit. Tum vero maximopere eius laudata fuit sapientia in litibus illis inter Ducem Cliviae et Ordines, per quinquaginta iam annos agitatis, feliciter componendis.

Qualem se praestiterit in legatione ad Comitua Electoralia iam vidimus: Qualem vero et cognitum habuerint Belgii Ordines, documento sit splendida illa ad Imperatorem Leopoldum Legatio, quam anno sexagesimo octavo Mauritio decreverunt.

Qui vero tanta sagacitate res perspicit civiles, profecto haud dubium esse potest, quin probe quoque intelligat, quanti intersit artes excolere, quam multiplicem utilitatem civitati afferant scientiarum studia. Et re vera magno in pretio haec habuit Mauritius, multum ad amplificandum contulit maxime Geographiae, Astronomiae et Historiae Naturalis studium. Scilicet quo iret imperium, eo et ingenii cultum sequi cum aequum putaret, omnis generis artifices, mechanicos, architectos, pictores, sculptores, alios in Brasiliam secum duxit aut arceslivit; inprimis etiam mathematicos, quorum princeps fuit *Georgius Marckgravius*, haud ignobilis hoc tempore Astronomus.

In huius igitur usum speculam aedificandam curavit, unde siderum motus coelique servaret phaenomena. Cum autem forte, medio fere mense Novembri anni millesimi sexcentissimi quadragesimi, insignis maxime solis defectus illis in terris conspiciendus foret, Marckgravio mandavit Mauritius, ut hanc eclipsin multo ante, ad calculos vocatam, describeret. Abeuntibus autem naucleris, quaecunque per maria navigaturis, sedulo iniunxit, ut eandem eclipsin, suo quisque loco, diligenter observarent, imaginemque delinearent.

Eiusdem Marckgravii opera usus fuit Mauritius ad Tabulas Geographicas accurate conficiendas. Quales quatuor, totam illam Belgicae tunc ditionis Brasiliam mirifice repraesentantes, post reditum Ordinibus Hollandiae in confesfu exhibuit Mauritius; easdemque edendas in publicos usus curavit — In Africam quoque, ut eiusmodi Tabulas exararet, Marckgravium misit; sed mors ibi virum egregium, proh dolor! occupavit.

Guilielmum Pisonem, medicum Amstelodamensem, hinc in Brasiliam arceslivit Mauritius, quem Archiatrum sibi haberet, virum et artis suae, et rei inprimis herbariae peritissimum, diligentem omnino naturae scrutatorem. Cum igitur magna ipse Mauritius rerum naturalium admiratione teneretur, adiutore

Pifone, quaecunque habebat Brasilia miracula, magnam partem ante incognita, quadrupedes, aves, pisces, serpentes, insecta, plantas, fructus, fossilia, cetera sedulo undique conquifivit; ut plurimum etiam formas depingi iussit. Cuius quidem studii et sedulitatis aliquis fructus ad nostra quoque tempora pervenit, cum et Pifo et Marckgravius scriptis multa illustraverint praeclaro opere de Historia Naturali Brasiliae.

Mauritius vero Cimeliarchium condiderat, ubi et haec et quae ex Africa aliisque regionibus advehebantur, cum naturae miranda, tum barbarorum populorum suppellectilia, vestimenta, arma, et id genus alia in spectaculum disponentur.

E Brasilia deinde redux talia cum aliis donavit, ut inprimis Academiae Lugduno Batavae, ubi in Theatri Anatomici ornamentis posita, tum domi suae Gazophylacium iis instruxit, quo et contemplando saepe, et vero cupidis ostendendo liberalissimum, per omnem vitam, oblectamentum et habuit et praebuit.

Pari vero et Antiquitatis incensus fuit studio, cui ipsa favit fortuna. Romani quondam ad fluminis Rheni ripam in Clivenfi tractu, finitimisque agris, diu multumque morati, stativa sua oppidi instar castra habuerunt. Horum vestigia cum dudum reperta fuerant, tum etiam Mauriti tempore apparuerant. Ille igitur his regionibus praefectus, quaecunque antiqua Romanorum monumenta invenire potuit, seu casu oblata, seu studio indagata et eruta, Deorum signa, lapides inscriptos, urnas, lampades, vasa, numos, annulos, alia, haec sibi comparavit et in Museum contulit; inprimis in secretiori Villae Bergendaelensis nemore lapides antiquos, muro in hemicyclii formam exstructo infixos, conspiciendos proposuit.

Minime iam mirum nobis accidere debet AA! Virum tam prudentem, tam subtili artibus videndis iudicio praeditum, eximium scientiarum fautorem, doctae antiquitatis admiratorem, Mauritium igitur homines artibus et eruditione claros in contubernio saepe habuisse, dilexisse, omni honore affecisse; et vero eosdem vicissim Maecenatem suum coluisse, laudasse, observantiam gratumque animum ei declarasse, praeclare factorum memoriam celebrasse. Exempla requiritis? AA! Caspar Barlaeus carmine gravi, cui titulus Mauritius redux, e Brasilia reditum, tanquam Patriae nomine, gratulatus est. Gratulatus est Leidam visenti, Academiae nomine, Antonius Thyfius publica Oratione coram

habita; mox edita. Deinde vero Barlaeus Rerum per octennium in Brasilia gestarum historiam condidit; grande opus, Blavianis typis magnifice scriptum, regionum, locorum, aedificiorum, praeliorum imaginibus splendide ornatum. Idem, sed minus feliciter, iam fecerat descriptione poëtica, Mauritiadis Libris XII, Franciscus Plante, ineptus Maronis imitator, ceterum vir bonus et doctus, qui in Brasilia Mauritio a sacris fuerat, et de religione optime meritus, post reditum Ecclesiastes Bredanus.

Sed et multum postea et digne a sui temporis poëtis cum latine tum belgice celebratus fuit Mauritius, maxime et saepissime a Poëtarum principe Iusto Vondelio.

Tum etiam pictores, sculptores alique artifices certatim operam dederunt, ut tanti Viri memoriam consecrarent, partim vultus imaginem exprimendo, partim alio genere; cuius exempla sint, Tabula, qua gratissimam illam Ducem inter Ordinesque Cliviae reconciliationem mirifice significavit Godevardus Flinckius, tum et tres aliae Tabulae aeri incisae, quibus varia casus istius Francigerani tempora expressa, sua habentes Epigrammata, belgice a Vondelio, latine a Petro Francio facta.

Sed aliud nobis commemorandum restat artis praeclaræ genus, sublime illud et ad magnificentiam insigniter comparatum, Principis ingenio dignissimum, Architectura scilicet, qua vehementer delectatum fuisse Mauritium, atque praecipuum sibi vitae decus et ornamentum quaesivisse, multa nunc et magna documenta videbimus.

Et primum quidem in Brasilia, in insula Antonii Vazii, situ maxime commoda, Palatium sibi condidisse accepimus, magnifice exstructum et munitum, quod patriae libertatis memor Friburgum appellaverit; tum vero ex Olindae maxime ruderibus urbem novam, sed loco diversam, satis amplam et ornatam, de nomine suo Mauritiopolin dictam condendam, eamque duplici Ponte ad miraculum fere in gemino flumine iungendam, magno ausu concepisse et effecisse; — nec procul inde Domum pulcherrimam, cui ab amoeno, qui inde capiebatur, prospectu Boavista Lusitanorum lingua nomen fuit, aedificandam curasse, hortis quoque et piscinis multum delectationis habentem.

Ut in patriam rediit, continuo magnificas illas aedes dignitatisque plenas Hagae Comitum sibi exstrui fecit, architecto usus summo illius temporis viro, Iacobo van Kampen, Randenbroekii domino. Domus erat externo adspectu

superba, intus regio splendore decora, quovis ornamenti genere pulchra, picturis aulaeisque insignis. Sclarum gradus, pavimenta et tabulata e ligno durissimo Brasiliano eleganter fabricata. — Quod aedificium, nisi fatali incendio consumtum, etiam nunc in admirationem spectantes raperet. Quae hodie nomen servat Mauritia domus, praeter parietes nil pristini splendoris reliquum habet.

Cliviae deinde Gubernator factus, in hac quoque urbe haud procul ab arce altissima illa et antiquissima, Ducem ipsum tunc saepius excipiente, pulchram magnamque Domum, ubi habitaret pro dignitate, Mauritius sibi condidit; cui aedificandae praefuit Petrus Post, architectus unus omnium clarissimus.

Affinem architecturae artem, Hortorum descriptionem illam, quae cum pulchri venustique sensu et iudicio coniuncta in artibus elegantioribus merito censetur, hanc igitur in deliciis quoque habuisse Mauritium nemo iam mirabitur. Quantum vero in hoc genere praesliterit vix credibile videretur, nisi stupenda evincerent monumenta.

In Brasilia fundum amplissimum suo aere mercatus, hortum fecit et amoenitate et utilitate supra quam dici potest mirabilem. Septingentas arbores cocinas, sive palmas cocciferas, partim etiam valde proceras et annosas, ingenti labore eo transvectas plantavit, innumeras praeterea alias fructuum hoc coelo nascentium feraces; addidit et frutices et legumina et herbas, etiam in medicorum usus, tum et quaevis alia hortorum decora, ut nihil desiderari videretur.

Postea redux Cliviam delegit, quam his artibus ornaret, illustraret, alteri etiam seculo prospiciens. Hoc unum studuit, ut tota, quae circumiacet, regio in ipsa Tempe conversa videretur. Testantur silvae, nemora, fontes, piscinae, villae, alia multa, quorum deliciis exponendis si genio indulgerem, deficeret oratio. — Accederem arborum opacitate captus ad ambulationem illam Nasfavicam, extra portam cognominem. — Inviserem laetus hortos ac nemora, domumque Principis olim claram in colle *a laetitia* nomen habente. — Lustrarem silvas, in monte *a stellis* dicto, viis et ambulationibus divergentibus ita descriptas, ut quoquo versum iucundissimus pateat prospectus. — Mirarer Vivarium illud celebre, aquis salientibus, spumantibusque fontium undulis uberrimum, et artis operibus decorum; ubi ipsius Mauricii statua armata sublimi columnae imposita; ubi Pallas marmorea Arti Quillini, Phidiae Amstelodamensis, praeclarum opus. — Subirem venerabundus Bergendalensem lucum. —

Enimvero hac Bergendalensis commemoratione sponte adducimur ad extrema Mauricii tempora. Belli tumultu Clivia se sua excludi tot annos graviter tulerat, post praelium ad Senesiam fere Hagae commoratus. Rebus autem anno demum septuagesimo octavo pace Neomagenfi compositis, in delicias suas postliminio rediit; atque tunc Bergendalensem sibi domum aedificavit, non magnam sed commodam, senectuti aptam. In luco etiam sepulcrum sibi paravit, e laminis ferri fusilis constructum, in Comitatu suo Siegenfi fabricatum, insignibus suis titulisque ornatum, atque in medio illo hemicyclio, tot Romanorum monumentis conspicuo, positum. In vicino quoque colle, Papenbergo dicto, umbraculum texuit, ubi sacris sermonibus audiendis aliquando vacaret.

In hoc igitur Bergendalensi secesfu, ad animum et pascendum et efferendum pariter composito, Mauritius senex, vitae bene actae conscientia beatus, exacto tempore contentus, ut conviva satur hac vita cessurus, meliorem prospiciens, extremum peregit annum; atque die XX Octobris anni millesimi sexcentissimi septuagesimi noni, aetatis iam septuagesimi sexti, hic placide exspiravit.

Exanime corpus, capulo inclusum aeneo, nulla prope funebri pompa, in destinatum illud illatum fuit monumentum; nec tamen mansurum. Sequenti scilicet anno, cenotaphio relicto, in Germaniam transvectum est, et familiae Nasavicae Siegenfi a maioribus dicato sepulcro conditum. — Adeo verum est, quod dixit Iuvenalis

data sunt ipsis quoque fata sepulcris.

Quo vultu Ioannes Mauritius fuerit, quo corporis habitu, ut non ignoremus faciunt imagines superstites variae, cum virili aetate florentem, tum senem illum repraesentantes. Forma erat decora; corpus satis firmum et valens, bello et venatui, quo multum delectabatur, aptum; nec tamen a morbis immune, in senectute inprimis nephritide affectum.

Erat vero in Mauritio multum et dignitatis et gravitatis; sed haec laeta et singulari comitate temperata; sine tristitia vultus. Summo opere ab aequalibus laudatum est ingenium mite ac lene, mansuetudo animi, obsequium, aequitas, pacis et concordiae amor. Nemo illo officiis et alloquiis civilior fuisse dicitur, sed candidus ipse nec blanditiis capiebatur, nec simulate loquentes ferebat.

Magnificentiae et splendoris studiosus laute vivebat; ab omni tamen fastu et superbia alienus. Caelibem perpetuo vitam agens, cognatos et amicos libero-

rum loco habebat, consuetudinem cum iis et familiaritatem libenter alens, conviviva hilaris, comes iucundus, dulcis et festivi sermonis. Otii vero fugiens nunquam non aliqua in re occupatus erat, in senectute etiam minora curans, tardius se expediens.

In omni autem vita animo erecto et magno, nec pericula timens; nec labores detrectans, haud prospera fortuna elatus, haud adversa fractus; summum semper rerum humanarum Arbitrum supplex venerans, suspiciens.

Ioannis igitur Maurittii, qualem fuisse accepimus, veram vitae animique imaginem adumbravi; adumbrare certe volui, magis tanti viri admiratione motus, quam imbecillitatis meae rationem habens. Hoc vero perfecisse mihi videor AA! ut Heroëm illum factis tam illustrem, moribus tam amabilem, meo longe maiorem praeconio, mecum iudicetis dignissimum, cuius memoriam revocet, conservet, celebret grata posteritas.

Unum hoc superest solemnitatis, quod fauste feliciter eveniat! ut, quem Amplissimi Curatores designaverint, ego in sequentem annum renuntiem Rectorem Magnificum WESSELUM ALBERTUM VAN HENGEL, Virum clarissimum Theologiae Profesorem, meamque provinciam succesori tradam.

Qui quidem dignitatis transferendae ritus, quem nos a maioribus accepimus, ut rite explicetur, ad me accedas te rogo Collega honoratissime!

Salve igitur Rector Magnifice! — prisca honorifici huius Tituli, en, accipe insignia, Sceptra. — Addo figilla. — Denique et Album tibi trado.

Novum hunc Honorem ex animo tibi gratulor: sit annus tuus tibi et Athenaeo laetus!

Faxit autem Deus, ut Franequerana Doctrinae sedes flore, honore, gloria crescat, ad pristinum aliquando Dignitatis fastigium resurgat!

—

A N N O T A T I O N E S.

p. 4, r. 1. *Quae nunc est in manibus.* Redevoering van A. G. CAMPER, als voorzittend Curator van Vrieslands Athenaeum te Franeker, op den 28 Decemb. 1815, bij de plegtige inhuldiging uitgesproken, te Harlingen bij M. van der Plaats 1816.

— r. 7. *Iam mensem ante.* Die nempe 28 mensis Novembris 1815.

— r. 10. *Numero quinque*, Nominatim,

EVERWINUS WASSENBERGH, ab anno inde 1770 in Academia Frisiaca Profesfor Ordinarius Linguae Graecae et Antiquitatum Graecarum, ut et Linguae Belgicae.

IOANNES GUILIELMUS DE CRANE, *I. V. D.* ab anno 1788 Historiarum, Eloquentiae et Poëseos, ut et Historiae Patriae Prof. Ord. et Bibliothecarius.

IACOBUS PIERSON THOLEN, *A. L. M. I. V. et Philos. D.* ab anno 1783 primum Matheseos et Architecturae Militaris Lector, deinde earundem Disciplinarum ut et Geographiae Prof. Ord.

CHRISTIANUS ALLARDI, *Med. D.* ab anno 1797 Chemiae Pharmaceuticae, Botanices, Pathologiae et Medicinae practicae Prof. Ord.

SICCO ENS, *Med. D.* ab anno 1809 Anatomiae, Chirurgiae et Artis Obstetriciae Prof. Ord.

p. 4, r. 14. *Nomina profesfi fuerant.* Scilicet in Athenaeo Publico, quod Franequerae apertum, Disciplinarum studiis se daturi nomina profiteri coeperant a die inde 9. m. Novemb.

p. 6, r. 21. *Heroum haec defecit progenies.* Mascula nempe progenies defecit. Unde, post mortem Guilielmi III, Principatus Arausionensis ceterorumque familiae illius Bonorum hereditas, etiam ex Testamento, post lites compositas, ad alteram familiam, Nasfavo Dietzanam eandemque Frisiacam, pervenit tantum non tota. Vid. A. Kluit. V. C. Primae Lineae Hist. Foeder. Belgii Foed. Parte I. p. 135 seqq.

Ceterum GUILIELMI I posteritas, sed ex affinitate, per feminas ad nostra usque tempora longe lateque est propagata; maxime vero primum per filiam eius *Ludovicam Iulianam* in Domo Hanoverana, nunc Regia apud Anglo-Britannos; tum per eiusdem e Friderico Henrico filio neptes, praesertim duas, alteram *Ludovicam Henricam* in Domo Brandenburgica, Borusorum Regia, alteram *Albertinam Agnetem*, Guilielmi Friderici Principis Coniugem in Domo illa Nasfaviorum Frisiaca, nunc in Belgis Regia.

Huius igitur consanguinitatis, tum et variae cum reliquis ea coniunctis contractae saepius affinitatis respectu, Augustissimi Belgii Regis nostri, Patriae Patris, GUILIELMI I, Atavis Frisonibus editi, origo ad GUILIELMUM quoque I Auriacum Principem refertur. Quae origo Frisiacae Familiae cum Brandenburgica adeo est communis, ut REX simul et REGINA coniux aequo pariter sanguinis gradu a Guilielmo I Auriaco distent, septima scilicet generatione.

p. 7, r. 18. *Schola, quam avus Herbornae condiderat.* Ioannes I. Nasfaviae Comes, Senior dictus, anno 1585 hoc Lyceum instituit, brevi inter Reformatos celebre factum Io. Piscatoris aliorumque Doctorum fama. De initio huius scholae eodem anno 1585 editus est liber hoc titulo; *Herbornensis schola, quam nuper Generosus Dominus Iohannes Comes a Nasfau in oppido Herborna aperuit.* Herb. 1585. 4°. teste Michaelae Hertzio in Bibliotheca Germanica n°. 1276. ubi plura de hac schola. Laudat hanc etiam impense Ubbo Emmius in Guilielmo Ludovico pag. 26. conf. quoque Vrmoet Athen. Fris. pag. 237.

p. 12, r. 25. *Die Martis sexto Ianuarii.* Anni nempe 1665 stylo, ut dicitur, novo, qui fuit dies 27 mensis Decembris anni 1664, veteri stylo, quo tunc utebantur Frisii.

p. 12, r. 51. *Arrepta catena.* In hac diatyposi partim secutus sum Monumentum anaglyphum, quod Franequerae prope ipsum pontem, qui etiam nunc Pons Mauriti-
us, *Prins Maurits-brug* vulgo, appellatur, Orphanotrophii parieti infixum, lapide exsculptam habet casus imaginem; partim ipsius Mauricii Principis epistolam ad sororem viduam Comitum a Stirum datam, quam servavit L. van Aitzema, Zaken van Staat en Ooriog, vol. XL parti 2. pag. 824.

In Albo Academiae Franequeranae haec memoriae exarata causa exstant.

Rectore M. Iohanne Terentio.

„Celsissimus Nasfoviae Princeps Iohannes Mauricius, peractis patruelis sui Guilielmi Friderici exequiis, reversurus Hagam Comititis, die 27 Decembris 1664, hora secunda pomeridiana cum aliquot nobilibus transiturus Franekeram, fracto prae equorum gravitate ponte ligneo op den dyck, supinus cum equo in a-
quam cecidit, aquisque pené suffocatus, propitio tamen Numine, vivus extractus est. Ex quo infortunio dum pessime habebat, humanae fragilitatis memorem, ultimam suam voluntatem condere iussit, eamque annulo suo obsignatam in Academiae nostrae archivis reponere dignatus est.”

Conferantur etiam excerpta ex Albo, Nicolai Blancardi Panegyrico subiuncta, pag. 68; ubi multa tamen verba mutata.

p. 15, r. 25. *Quinto post anno.* Literae, quibus repetiit Princeps, datae fuerunt Hagae Comitum d. 3 Septembris 1670 styli novi. Testamentum per Pedellum fuit remissum, additis Literis a Rectore et Senatu Academico die 27 Augusti styli veteris, qui solus tunc apud Frisios in usu, scriptis, hoc est d. 6 Septembris stylo novo, ad quas respondit Princeps d. 10 Sept.

p. 16, r. 17. *Georgius Marckgravius haud ignobilis.* Gente fuit Germanus, natus in oppido Liebstad, quod in Misnienfi territorio, milliario cum dimidio a Pirna distat, austrum versus montana regione situm. De illo autem G. Pifo, in Praefatione Historiae Nat. Brasiliae, haec memoriae prodidit. „Invitatus quondam ab Amplissimis, inquit, Societatis Indiae Occidentalis undeviginti viris, ut Illustrissimo Nasfoviae Comiti, tum quoque Brasiliae, qua paret Belgis, in arte Apollinari praeesset: publicae utilitatis fore mecum arbitrati sunt Spectatissimi Viri D. Albertus Coenradi Brug et D. Ioannes de Laet, primi Musarum fautores, molestam hanc provinciam mihi impositam naturae indagatione horis subcivis lenire. Cui simul oneri publico et privato ut ferendo par essem Georg. Marckgravium et H. Craltizium, Germanos, Medicinae et Mathefeos candidatos, mihi adiungi visum fuit. Hic immaura morte suffocatus: Ille sedulus per sexennium mediterraneorum locorum explorator; meis primum, mox Illustr. Comitis subsidiis suffultus, partes suas circa Geographicas, Astronomicas, Historiaeque Naturalis Observationes, acriter tutatus est. Atque in Africam tandem transfretans succubuit. Quamobrem ne illius Viri periret memoria, Astronomica Clarissimo D. Profesori Golio aliquando edenda, Historiam vero Naturalem curae Praestantissimi Viri I. de Laet, de Americanis meritisimi, per Illustrisf. Mauritium Nasfovium tradi curavi.”

Quod ad Astronomica illa attinet. Iacobus Golius, ut insigni Linguae Arabicae peritia, ita et Mathematicum scientia iis temporibus clarus, in illo Doctrinae genere Thomae Erpenii, in hoc vero simul Willebrandi Suellii in Academia Leidensi succesor, et per quadraginta fere annos Profesor, ubi anno 1667 diem supremum obiit, hic igitur Marckgraviana illa nunquam edidit: nec quid post mortem Golii de illis factum sit uspiam reperio.

Verum Celeberr. Hieron. de La Lande in Bibliographia Astronomica Gallice

scripta, in Indice scriptorum in voce haec habet *Margraff* 1638–1643, *ses observations sont au dépôt (de la Marine de France)*; addito asterisco significans, auctoritatem se secutum diligentissimi de Pingré, qui superiorum temporum observationes conquiſivit. Magis vero explicite idem de La Lande sic prodit Astronomiae § 1399 secundae editionis; — *Observations, que n'ont point été publiées, telles sont celles que Margraf fit en 1639 et 1640 dans l'Isle de Vaaz en Bresil, qui sont au dépôt, mais l'original est resté à Cadix avec les manuscrits, que M. Godin y avoit emportés, et que l'on croit être entre les mains de D. Antonio d'Ulloa.* Quid vero sit, cur haec omnia a tertia Astronomiae editione exulcent, haud possum divinare.

Qualia autem fuerint illa Astronomica conicere licet ex eo, quod Io. de Laet in praefatione ad Marcgravii Historiae rerum Naturalium libros, de manuscriptis eiusdem exponens, tradidit his verbis. Destinaverat auctor operi suo praemittere *Progyrnasmata Mathematica Americana*, tribus sectionibus comprehensa. Prima sectio est *Astronomica et Optica*, omnium siderum Australium intra tropicum cancri et polum antarcticum exstantium instaurationem; observationes varias et multas omnium planetarum, et deliquiorum solis et lunae, indeque exstructa singularia: novas et veras Theorias inferiorum planetarum Veneris et Mercurii, observationibus propriis superstructas: Refractionum et Parallaxium doctrinam, obliquitatem maximam Eclipticae definitam, nec non aliqua de maculis solis et varias raritates Uranicas alias continens. Altera sectio est *Geographica et Geodaetica*, longitudinum terrestrium doctrinam, earumque initium numerandi constituens, Terrae totius veram dimensionem ex observationibus propriis demonstrans, ac Antiquorum et modernorum Geographorum errores detegens. Tertia ex duabus antecedentibus exstructa *Tabulae Mauricii Astronomicae*. Hunc Titulum inter schedas Marcgravii invenisse, sed tantum titulum, utrum opus abolverit, et quid de illo factum sit, ignorare se ait de Laet. Ceterum titulo hoc subscriptum erat. „Opus desideratum, a nemine adhuc tentatum, accedente munificentia Illustr. et Excellentissimi Herois I. Mauricii Nassoviae Comititis etc. Terrae et Oceani Brasiliensis Praefecti summi, inchoatum feliciter, et itidem cum bono Deo post multos labores absolutum, in nova civitate Mauricia, sita in Brasilia Americae Australis regione, auctore Georgio Marcgravio de Liebstad Germano.”

Piso in Tractatu de aëre, aquis at locis, qui Barlaei Historiae editioni Clivenſi anni 1660 accessit, de caelo Brasiliae agens, mira, inquit p. 580, undique serenitas est, praesertim circa vesperam, quae nullos unquam succedenti lunae tradit vapores vel nebulas; sed noctes reddit adeo claras, ut uno eodemque die luna vetus et nova conspici, literaeque ad lunam quadratam satis recte legi possint. Eadem Astronomo et ad coelestia intento promittit multa circa Eclipses et Nubeculas Maellanicas, Veneremque post emersionem a sole falcata, Mercurium scintillantem et corniculatum, accessus denique Lunae ad stellas cum fixas tum planetas, ceteraque phaenomena, partim antea Europaeis non viva, sicut multo-

ties fuit a nobis observatum ex specula eminentiori Astronomicis usibus per Illustriss. D. I. Mauritium Nassaviae Principem exstructa, — et a domestico meo accurate descripta, ad quem curiosum lectorem remitto.”

Eadem fere Pifo iam scripserat Lib. I de Medicina Brasiliensi pag. 3. qui anno 1648 prodiit, sed non additis tunc postremis his verbis, „ et a domestico meo „ accurate descripta, ad quem curiosum lectorem remitto”: quae nunc demum post decennium et quod excurrit accesserunt. Sive interea temporis e scriptis Marcgravii, is enim est, quem domesticum suum appellat, aliquod, quo haec descriptio contineatur, editum fuerit; quod tamen haud reperio, sive tum forte spem praecipue habuerit Pifo brevi fore, ut, quae Golio tradi curasset, ea lucem adspicerent.

Ut ut fuerit, et sive casu fortuito aut nescio quo fato neglecti sint Marcgravii Commentarii, sive invidia aliqua, sive legendi atque extricandi difficultate, docet nos enim Praestantiss. de Laet, Marcgravium metu, ne quis ipsius labores sibi vindicaret, si forte quid humanitus ipsi accidisset, antequam ipse illos posset publici iuris facere, bonam partem illorum, quibus Historiam Naturalem complexus fuerat, characteribus quibusdam ab ipso commentis exarasse; quaecunque igitur causa extiterit, dolendum profecto, tot diligentissimi illius Astronomi Observationes egregias aut nobis iam periisse, aut in tenebris adhuc ubicunque latere. Maxime vero dolendum, non ipsis illis temporibus mox prodissse. Quod si factum esset, magno certe emolumento fuisset studiis Astronomicis; quin multa fortasse eorum, quae de hemisphaerio australi nunc cognita simili industriae debentur praecleari Abbatis de la Caille, iam maiores nostri, plus seculo ante, per Marcgravium didicissent, et quam tunc temporis ingentem patriae nostrae ab his studiis conciliabat gloriam magnus Chr. Hugenius, illam et Marcgravii eximiis inventis insigniter auctam vidissent, cum eiusdem atque Illustrissimi simul Maecenatis sui Mauritii nomine ad feros posteros propagandam.

Eclipsis autem illius memorabilis, quae anno 1640 die 13 Novembris contigit, solis fere Americanis adspectabilis, delineationem accuratissime a Marcgravio factam nobis servavit Barlaeus in Hist. rerum in Bras. gest. pag. 196 *seqq.*

Ipse vero Marcgravius Hist. Nat. Lib. VIII C. 1. p. 260. Longitudinem Mauritiae civitatis definivit, quam ipsum saepius observasse per eclipses, et invenisse trecentorum et quadraginta graduum et semis respectu Uranoburgi affirmat. Ex quo apparet, illum calculos Tychonis et Kepleri adhibere solitum fuisse. Latitudinem non addit, quod vellem; sed a consilio erat alienum, cum id ageret, ut comparando inter se Longitudines Limae et Mauritiae amplitudinem Brasiliae quaereret.

Pisonem appellare Marcgravium domesticum suum, id forte paulo arrogantius de tanto viro dictum videri potest. Hunc quidem illi primum comitem et in rerum naturalium indagatione adiutorem datum fuisse, supra, ipso referente Pifone, vidimus, tum etiam mox Illustrissimi Comitiss Mauritii subsidiis suffultum

fuisse; verum magno in honore, pro meritis, apud Mauritium fuisse, hunc ut Maecenatem suum maxime coluisse Marcgravium, cum multis aliis constat documentis, tum et diserto Barlaei testimonio, qui Mathesios peritissimum, Geographum et Astrologum eximium vocans, eum *ipsi Comiti* in barbaro orbe ab his studiis fuisse ait, tum vero *eius in gratiam* extrui in sublimi speculam fecisse Mauritium observandis astrorum motibus, Hist. g. 330. Sed haec hactenus.

Non minus studii in Geographia et Geodaesia adhibuisse Marcgravium, atque his etiam scientiis multum profuturos fuisse, si exstarent, Commentarios eius omnino apparet. Non alius tamen inde, quod sciam, ad nos fructus, quamquam is non contemnendus, pervenit, quam Tabulae Geographicae quatuor, omnem Brasiliam illam Belgicam exhibentes; quarum prima a fluvio Potiipoba ad S. Francisci flumen regionem, sive Capitaniam de Cirii continet; altera Paranabucae partem meridionalem; tertia, quae omnium accuratissima, eiusdem partem borealem cum Itamarica; quarta praefecturas Paraibam et Rio grande. Nisi fortasse et Tabula sinus omnium sanctorum, et variae etiam Tabulae Topographicae, Barlaei Historiae insertae, ad Marcgravium sint referendae.

Illas certe quatuor, Marcgravi opera, magna cura, et sumptibus suis exarari fecerat Mauritius. Eas adeo, ut Barlaeus inquit, Nassavii munificentiae debent secula. Copiose descripsit idem Barlaeus Hist. p. 25 et 330; atque cura Io. Blavii aeri incisae operi suo anno 1647 inseruit, quarum prima Longitudinis tantum gradus, tertia Latitudinis in margine notatos habent, reliquae, quod mirum, utrisque carent. Vix dubito, quin sint eadem, quas Mauritius suis sumptibus impressas, non ita diu post, Ordinibus Hollandiae donavit, ut ex illorum ordinum decretis docet Amplissimus van Wyn, Nalezingen op de Vaderl. Hist. parte II. p. 87. his verbis; *ook schonk hij hunne Edele Groot Mogendheden eene kaarte figuratief, die hij op zijne kosten in koper had doen snijden en drukken.*

Postea ab aliis chalcographis, praesertim a Covens et Mortier, sunt repetitae illae tabulae, ut et ea, quae sinum omnium sanctorum exhibet, sed neglecto auctoris Marcgravi nomine, quem hodie etiam ignorant plurimi, qui multum iis utuntur.

Ceterum quo minus in Africam profectus illius quoque orae, quam nostri tunc in ea terrarum parte tenebant, confecerit tabulas, invidiam mortem prohibuisse testatur Barlaeus p. 330. Mors eius in annum 1643 incidisse ex ratione temporum mihi videtur.

Restat ut paucis videamus, quam egregie quoque de Naturali Historia meritis sit Marcgravius, ut nomen eius etiam nunc venerentur Zoologiae inprimis et Botanices cultores.

Piso, „historiae, inquit, Naturalis partem domestico meo G. Marcgravio „commisi, partem ipse collegi” etc. Quam praeclare vero has partes sibi impositas et suscepit et sustinuerit Marcgravius, non tam Pisonis domesticis auspiciis, quam ipsius Illustrisf. Comitissae Io. Mauritiæ beneficio, favore et impensis,

diserte nos docet Io. de Laet in sua praefatione, dignas ipsi laudes tribuens. Hunc igitur si audiamus, „Marcgravius cum hoc ageret, ut accuratam daret descriptionem omnium rerum naturalium Brasiliae, ad quam eo animo erat profectus, non ex aliorum relatione, sed propria et diligentissima inquisitione atque accurata observatione, multis itineribus propterea susceptis, non sine periculo, primum confuse illas descripserat et delineaverat, prout variis locis et temporibus sese offerebant, aut ad ipsum ab incolis afferebantur. Deinde illas ordine suo disponere et ad suas clasces referre coeperat. Sed quia, praesertim in plantis, non uno tempore omnia sese exhibent, quae ad plenam et perfectam earum descriptionem requiruntur, hinc factum est, ut in aliquibus plantis aut flores aut fructus et semina observare atque describere non potuerit.” Consilium certe fuit omissa postea supplere, et inelaborata perficere. Quod tamen optimo viro haud licuit. „Nam (haec addit de Laet vir candidissimus) cum singulari studio de publico bene merendi, quod in admodum paucis reperias, si quidem plerique suas potius res curant, quam publicas, e Brasilia se in Africam contulisset, ut ibidem simili diligentia res naturales indagaret et describeret, morte praeventus fuit, neque potuit aut suo aut aliorum desiderio satis facere.”

Quos igitur reliquerat Marcgravius commentarios ita indigestos atque imperfectos, et, ut supra diximus, metu ne inventorum fructus et honor sibi perfide furriperentur, magnam partem notis arcanis exaratos, ubi ab Illustriss. Comite Io. Mauritio acceperat Praestantiss. de Laet, hic eos ope alphabeti secreto a Marcgravio relictis explicitos transcripsit, in ordinem digessit, quantum quidem potuit, supplevit etiam ex schedis nonnullis auctoris; quarundam plantarum icones, quae deerant, ex herbis siccis a Marcgravio conservatis delineatas addidit; tandem etiam de suo quaedam, sed distincta, adiecit.

Sic igitur digestum opus Marcgravianum de Historia rerum naturalium Brasiliae octo libris absolvitur, iconibus 429 illustratum, maximam partem ab auctore ipso accurate delineatis. Octavum quidem librum Marcgravius tantum affectum reliquerat. Hic igitur, de ipsa regione deque indigenis et incolis agens maxime debetur industriae Praestant. de Laet; ex reliquis autem septem tres priores Botanici sunt, ut primus contineat Herbas cum figuris 86, alter Frutices figuris 39, tertius Arbores figuris 75; Quatuor deinde libri Zoologici sunt, ut quartus complectatur Pisces cum Testaceis, figuras 106, quintus Volucres, figuras 54, sextus Quadrupedes et Serpentes, figuras 33, septimus tandem Insecta, figuras 29.

Opus Mauritio ipse inscripserat Marcgravius, ac Dedicationis formulam concinnaverat; quam adscribere haud piget, cum et grati eius in Maecenatem animi, et munificentiae Mauritii nostri praeclarum sit monumentum. „Ioanni Mauritio, „Nassaviae Comiti, Terrae et Oceani Brasiliensis summo Praefecto, quae suis per „Brasiliam peregrinationibus indefesso studio inquisivit, accurate descripsit, et „quorum icones ad vivum ipse fecit, nomina apud incolas investigavit, et quaedam „convenientia imposuit, facultates, quantum fieri potuit, indagavit, et in hanc his-

„toriam, in omnium naturalis scientiae studioforum et admiratorum usum digestit,
„in debitam beneficiorum maximorum ab ipso acceptorum agnitionem et gratiarum
„actionem devote offert et dedicat Georgius Marcgravius de Liebstad Misnicus
„Germanus.”

Haec Marcgravii memoriae quodammodo me hic debere putavi, cuius nomen ne
apud exteros quidem omnino oblitteratum esse laetabar nuper cum viderem. In de-
scriptione Brasiliae, quam paucos ante annos edidit Andrew Grant. M. D. Anglo-
Britannus, perquam honorifica cum Pifone Marcgravii mentio facta est. Vid. Bi-
bliothek der neuesten u. wichtigsten Reisebeschreibungen v. Sprengel u. Ehrmann.
Th. XLIX. pag. 7.

p. 16, r. 51. *Guilielmum Pisonem.* De hoc viro praestantissimo, superiori annotatione, mul-
ta iam dicta. „In dispicienda rerum natura maximae illum prudentiae fuisse,
doctrina et suae artis laude clarum, inde Mauritio, cui a pharmacis erat, perca-
rum; tum et in stirpium exoticarum raram indolem virtutemque speculatione de-
misum earum omnium historiam conscribere muneris sui putasse;” diserte ait
Barlaeus p. 331. Ille vero, ut Medicus, in hac sua arte et in ea Historiae natu-
ralis et Botanices parte, quae cum medicina proxime coniuncta, studium potissimum
collocavit; atque, ut ipse inquit, „Historiae naturalis parte Marcgravio commissa,
partem, quantum per muneris curas indefessa observatione licuit, ipse collegit et
in usus applicavit, terrae et animalium, ipsorum denique hominum viscera lus-
travit, specierum similitudines ad vivum delineavit, vires et potestates enarravit, et
quantis inde profectibus Medicinae scientia augescere posset, demonstravit.” Sic
scripsit scilicet de Medicina Brasiliensi Libros quatuor, quorum primus de Brasiliae
aëre aquis et locis, alter de morbis endemiis, tertius de venenis eorumque antido-
tis, quartus de facultatibus simplicium; atque hunc librum magnam partem Botani-
cum iconibus illustravit; in quibus cum quaedam sint eadem, quas Marcgravius
sibi delineaverat, plagii aliquam suspensionem haud effugere potuit Pifo, ut, iudice
Hallero, Marcgravianas plantas et icones, ut ei videbantur magis mereri, in suum
opus transtulisse videatur. Sed vel sic tamen aequum est animadvertere, de iisdem
plantis longe diversa scribere Pisonem ab iis, quae Marcgravius in commentarios
retulerat. Praeter hos de Medicina libros alia quaedam scripsit Pifo, ut deinde vi-
debimus.

Sic igitur de re Medica et Botanica optime meritum eum laudant cum Boerhavi-
us, qui in praefatione ad Nicolai Pisonis Medici Lotharingi libros de cognoscendis
et curandis morbis, sub finem, „Guilielmum etiam Pisonem, inquit, Batavum nos-
trum de Historia rerum naturalium et medicarum apud Brasilianos merito laudo,”
tum A. Hallerus Biblioth. Chirurg. T. I. p. 346 Biblioth. Medicinae practicae
T. III. p. 1. seqq. et imprimis Biblioth. Botan. T. I. p. 473. seqq. Hic Medici-
nae Doctorem Leidensem vocat, quemadmodum in titulo librorum de Med. Brasil.
anni 1648. M. D. Lugduno Batavus dicitur. Sed in titulo Tractatus, Cliviae
1660, Medicus Amstelodamensis appellatur.

Ceterum in Brasiliam proficiscenti incolumitatem atque prospera omnia carmine vernaculo precatus est I. Vondelius, Poezy II Deel bl. 349. Reditum deinde carmine latino gratulatus est Barlaeus, Poëmat. Vol. II. p. 264. Opus suum iterum edentem laudavit itidem Nicol. Heinsius Lib. III. Eleg. 5.

p. 16, r. 33. *Cum igitur magna ipse Mauritius rerum naturalium admiratione teneretur.* Non possum non adscribere Pisonis testimonium verbis, quibus utitur, in dedicatione, ad Celsissim. Principem Auriacum Guilielmum II. „ Alexandrum Magnum, inquit, inflammatum cupidine animalium naturas noscendi, delegasse eam commentationem Aristoteli, eique aliquot millia hominum, „ quos venatus, aucupia, piscatusque alebant, parere iussisse, Plinius auctor est. „ Cuius decoris exemplum in Illustrissima tua Nasovia domo hic praeterire res „ ipsa vetat, quia scio hoc etiam tuae pietatis et magni animi esse, Celsissime „ Princeps, quod tuarum certus, cognatorum tuorum quoque laudes libenter exaudis. Excellentissimus enim Comes, I. Mauritius, in India Occidentali, domitis provinciis compluribus, terrestribus navalibusque praeliis decertatis, religione sincera defensa et aucta, inter tantos labores et summae rei curam, quod „ ad corpus animumque recreandum vacui temporis sibi concedebat, unico promodum tribuebat avocamento, ingenii cultui, adeoque abacum et doctum „ illum pulverem Archimediae subtilitati aemulus agitabat: tum et conatus hosce „ nostros circa Historiam Naturalem ita promovebat, ut ipse non modo insitam „ multorum vim perdisceret, sed ad publicum fructum prodendorum eorum viam „ aperiret.”

p. 17, r. 5. *Opere de Historia Naturali Brasiliae.* Titulus est, Historia Naturalis Brasiliae, auspicio et beneficio Illustriss. I. Mauriti Com. Nasavii, illius provinciae et maris summi Praefecti adornata, in qua non tantum Plantae et Animalia, sed et indigenarum morbi ingenia et mores describuntur, et iconibus supra quingentas illustrantur, Lugd. Bat. ap. F. Hackium et Amstel. ap. Lud. Elzevirium 1643. folio.

Continentur hoc volumine Pisonis de Medicina Brasiliensi Libri illi quatuor, et Marcgravii Historiae rerum naturalium Brasiliae libri octo, de quibus antea diximus, cum annotationibus, supplementis et appendice de Tapuyis et Chilensibus Ioannis de Laet, Antwerpiani.

Decem post annis 1658 hoc opus mutatum prodiit Amstelodami, inscriptum G. Pisonis de Indiae Utriusque re Naturali et Medica Libri XIV. Quam quidem editionem oculis usurpare nondum mihi contigit. In prioris editionis praefatione Piso, Marcgravii Historiam naturalem commemorans, sic pie effatus fuerat; „ atque ut defuncti cineribus sua persolverentur praemia opus eius posthumum meis „ tractatibus non immisceri, sed adiungi volui”. Ab hoc tamen consilio in hac altera editione aliquantum recessit, ut, referente Hallero Bibl. Bot. l. I., cum quinque iam libri sint Pisonis, quibus Historia Naturalis et Medica Indiae Occidentalis traditur, quartus eorum, agens de Plantis, contineat Marcgraviana nunc

cum Pisonianis in unum librum confusa, omisfis, quae Pisoni obscuriora viderentur. Acceserunt autem Pisonis Mantissa Aromaticæ, sive de aromatibus cardinalibus quatuor, et de Plantis aliquot Indicis in Medicinam receptis relatio nova.

p. 17, r. 12. *In Theatri Anatomici ornamentis* cet. „ Exotica Mauritius, sunt verba „ Barlaei Hist. p. 314, quae hic Batavi rara nec visa miramur, exuvias quadripedum, piscium, avium, utensilia Barbarica, arma, redimicula, pilea in Belgium „ transtulit. Quae cuncta non habuit sibi ad propriam delectationem tantum, sed „ et ad usum et voluptates plurimum. Testis est Theatrum Anatomicum apud Leidenenses, in quo velut in Favisis Capitolinis, haec ipsa hodie videntur dono et „ munificentia Nasfovii” cet.

In Catalogo autem Cimeliorum Theatri Anatomici Leidensis, anni 1682, haec sparsim notata reperio Io. Mauriti Principis donaria. Alium Catalogum, sed recentiore, consulendi non mihi copia fuit; qui inscribitur; Catalogue des curiosités, qu'on voit dans la chambre de l'Anatomie publique de l'Université de Leide, par Fr. Schuyt à Leide 1718. 4°. In illo autem notantur;

Exuviae animalis ex Brasilia dicti *Tamandua Pepa*.

Setosum suis tergo ex Brasilia.

Corium equi marini.

Bestia nomine *Tatou*.

Ignavus.

Formicas vorans *guandut* (forte *guacu*) ex Brasilia.

Crocodylus.

Quaedam Tigrium exuviae.

Bestia dicta *Tatou*.

Manus Nereidos s. Virginis marinae.

Pes monstri marini.

Lacerti exuviae ex Brasilia.

Caput Tigris.

Crocodylus iunior ex Aegypto.

Capula cum ovis Crocodili, ubi haec addita: ova Crocodili, quae innoxie comeduntur, mittebat ex Brasilia D. Doctor G. Piso anno 1639.

Cassia fistula ex Brasilia.

Praeterea haec dona G. Pisonis memorantur;

Rostrum piscis ignoti ex Brasilia.

Skeleton Ignavi.

Caput porci nomine *Babiroufa*, ex India Orientali.

Tum etiam, quae in ambulacro Horti medici reposita, Pisonis munera:

Truncus Fici Indicae Sylvestris *Iammaracu*.

Serpentum Brasiliensium variae exuviae.

Multa quidem insuper commemorantur e Brasilia, iisdem certe temporibus allata, sed non addito nomine eius, qui donaverit.

p. 17, r. 15. *Cupidis ostendendo.* Huc pertinent Iambi Const. Hugonii Moment. Defult. Libro X. p. 325. Ad Adolphum Vorstium, Cimiliorum Americanorum Principis Mauriti Nasfovii mecum Spectatorem.

p. 17, r. 21. *Muro in hemicyclii formam cet.* Io. Mauriti nostri cum summis sui seculi viris de Musarum palma contententis quasi ac certantis memoriam nuper repetiit Eruditissimus Petrus Boscha diligentissime elaborata oratione de Gisberto Cupero pag. 10, testem citans Saxium V. C. Onom. Part. V. p. 67. Is igitur, eo hoc loco et eiusdem Partis p. 594, atque Part. I. Dedic. p. VI, cum Mausoleum illud, sive verius Museum antiquorum lapidum, tum illustrem eius Auctorem laudibus maximis ornat, scriptoresque de utroque praecipuos commemorat. His addi possunt qui de antiquitatis illis monumentis aut universe retulerunt, aut de nonnullis diligentius inquisiverunt; Dithmarus ad Teschenmacheri Annales Cliviae p. 34, 59; Altlingius Notitia Germ. Inf. p. 32 seq. 102; Almeloventius Antiquitatum e sacris profanarum specimine; Henr. Cannegieterus in Postumo Cap. 17 et in Britenburgo p. 102; R. Schutte Heilige Jaarboeken vol. II. p. 113, ubi Cl. Iacobi de Rhoer Sententiam de Hercule Saxano refert. Praeterea huc faciunt quodammodo Pighii Hercules Prodicus et Egberti Hopp kurtze Beschreibung des Landes von Cleve 1650. praesertim vero Vergnügungen bey denn Wasfern zu Cleve; C. Bruin Kleeffsche en Zuidhollandsche Arcadia, met aantek. van L. Smids 1730; de Stad Kleef door P. Langendyk, 1747.

Hemicyclium illud exstructum fuit, monumentisque illis antiquis a Mauritio ornatum anno 1667. Muri locique effigiem tabula aenea expressam dederunt C. Bruin et P. Langendyk opusculis S. C. Complectebatur totum Syntagma Lapidum inscriptos viginti duos, Imagines praeterea artificiose exsculptas novem; teste Hagenbuchio in Sacrario Principis pag. 4. Catalogum opusculo suo der Kleeffschen Lusthof subiecit Christoph. de Vries.

Illa cum a Principe tam splendide exponerentur, partim quidem mutila, multa tamen satis integra erant. Postea vero Theatrum illud invidiosa vetustate sensim destructum, mox turpiter neglectum, tandem ut sit tempore maxime belli ita pessime fuit habitum, ut nunc omnia fere prostrata iaceant.

Memini multos ante annos Hermannum Cannegieterum, Virum Cl., collegam quondam amicissimum, de monumento Bergendalensi mihi narrare, queri neglectum iacere, tum vero dicere, omnium illorum Lapidum titulos in scrinio se habere accuratissime descriptos; quos an ipse sibi olim confecisset, an a patre, magno illo antiquitatis interprete, iam accepisset, id mihi incertum est; certe vero optandum, ut ex optimi Viri schedis relictis etiam nunc in lucem possint produci.

p. 17, r. 32. *Mauritius Redux.* Non est mihi dubium, quin ipso iam anno 1644 seorsum editum fuerit hoc Carmen, cuius tamen exemplum reperire nondum mihi conti-

git. Exstat vero in Barlaei Poëmatum editione anni 1645. Vol. I. p. 333. seqq. Biennio post Historiae Rerum in Brasilia fuit subiunctum.

Barlaeus Orationem suam de Victa Hispanorum classe per Martinum Trompium d. 21 Octob. 1639 (Orationum libro p. 322. seqq.) mox cum Carmine in eandem victoriam scripto (Poëm. Vol. I. p. 250. seqq.) una editam, ad Io. Mauritium Comitem in Brasiliam miserat, cum literis Amstel. 15 Decemb. eiusdem anni datis, quae in Barlaei Epistolis n. 402. Vol. II. p. 784.

p. 17, r. 34. *A. Thyfius publica Oratione.* Titulus est; „Antonii Thyfii I. C. et Professoris in Academia Leydensi Discursus Oratorius ad Illustrissimum Comitem I. Mauritium Nasfaviū, Brasiliae terra marique Imperatorem cet., cum feliciter in Hollandiam reversus urbem Lugduno Batavam et Academiam lustraret.” editus folio maiori.

p. 18, r. 1. *Barlaeus rerum per octennium.* Titulus est; „Rerum per octennium in Brasilia et alibi nuper gestarum sub Praefectura Ill. Comitis Io. Mauritiū Nasfaviae etc. comitis Historia.” Amstelod. ex Typogr. Io. Blaeu 1647. Folio maiori. Ipse Mauritio opus inscripsit Barlaeus. Tradit Adr. a Cattenburgh in Bibliotheca Scriptorum Remonstrantium p. 9, potissimam partem impresorum Codicum huius Historiae periisse incendio Typographiae Blavianae. Quae calamitas incidit d. 22 Febr. 1672. Vid. Wagenaar Amsterdam Vol. VIII. p. 661 et XI. 287.

Interea opus recusum fuerat Clivis anno 1660 in 8°, addito quadruplici Pisonis tractatu.

p. 18, r. 4. *Mauritiadis libris.* Est Titulus operis, Lugduni Batav. in officina Io. Maire splendide etiam typis excusi, et anno 1647 folio maiore editi; „Francisci Plante Brugenfis Mauritiados Libri XII. hoc est Rerum ab Illustrissimo Heroë Ioanne Mauritio Comite Nasfaviae etc. in Occidentali India gestarum descriptio poëtica.” Et librum et auctorem laudarunt sane, more seculi, carminibus suis Frid. Spanhemius, Const. Hugenius, Daniel Heinsius, C. Barlaeus, Theod. Graswinckel et M. Zuerius Boxhornius. At vehementer exagitavit Nicolaus Heinsius tum iuvenis, collata opera cum Kinschotio et Wallio, qui scriptorem, ficto nomine Francisci Santrae designatum, infectati sunt lusu saturnalitio, iocoso libello anno 1648 in publicum edito. Quae Heinsium auctorem habent, haec Carminibus eius inserta sunt, pag. 285. seqq. Ceterum vid. P. Burmanni Commentarius de Vita Nic. Heinsii. pag. 13.

p. 18, r. 15. *Tres aliae tabulae aeri incisae cet.* Harum quidem tabularum, quae admodum raro hodie inveniuntur, artifex fuit Ian Visfcher sive de Visfcher, sculptor ille temporibus ipsius clarus; sed et aequalem eius Pieter Nolpe, magno opere laudatum, praeter alia, etiam fecit pontis, Principis Mauritiū hoc casu celebris, effigiem coelo expressisse video apud R. v. Eynden et A. v. d. Willigen Geschichte der Vaderlandsche Schilderkunst I D. p. 81.

Quae vero tres illae tabulae habent Epigrammata; vernacula quidem Vondelii

exstant inter Carmina eius, Poëzy II Deel p. 586; Latina vero, quibus subscriptum P. Francii nomen, in Poematum Francii libris, et primæ editionis anni 1682 et alterius 1697 et posthumis etiam, non reperiuntur. Ipse forte neglecta voluit; certe, cum anno 1664 vix decimum nonum ætatis annum ageret Francius, inter iuvenilia illaque referri possunt, de quibus ipse in præfatione prioris editionis ait; „quæ aut amicorum nostrorum voluntas, aut occasio temporis, quibus inserviendum est aliquando, nobis expresferant, aut quæ per ætatem etiam non „fatis matura esse videbantur, omisimus.” Sunt autem hæc;

I.

Dum Pontem Frænkera tuum fortissimus Heros
Ire parat mediis præcipitatur aquis:
Ingemuit vero turbatus imagine Martis,
Nec valuit tanti pondera ferre Dei.
Anxia depressi cecidere repagula pontis,
Et malefida suum deferuere Decum.

II.

Conculcatus equis, rigidaeque simillima morti
Vix sua, confusis vultibus, ora refert.
Ingratis heu crimen aquis! sic ergo peribit
In medio potius dignior hoste mori.
Accurrit comitum fidisimus agmine toto,
Auxiliaturam porrigit ille manum.

III.

Talia tollebat coelo Mauritius ora.
Submissi tensas intueare manus.
Teutonicae voluisse rei, nostræque saluti
Quis dubitet magnos consuluisse Deos.
Se tibi continuet clementia Numinis alti!
Hoc Duce Nasavidum vincere perge decus.

p. 18, r. 54. *Domus erat.* Vid. Conf. Hugonii in eam Epigramma Moment. defult. p. 231.
Incendio conflagrata est d. 22 Decemb. 1704. Vid. de Riemer Beschrijving van
's Gravenhage P. II. p. 753.

p. 19, r. 52. *Statua armata.* Septum clathratum prope hanc columnam verba habet inscripta:
„Omnes natura iudices, non artifices, fecit.”

p. 20, r. 20. *Dixit Iuvenalis.* Sat. X. vers 146.

p. 21, r. 5. *Non labores detrectans.* Symbolum, quo uti solebat Io. Mauritius, profecto Hercule dignum, erat;

QUA PATET ORBIS.

p. 21, r. 8. *Qualem fuisse accepimus.* Consilium fuit cum plura his interferere, quae ad res et tempora Mauritiū pertineant, tum auctoritates, quas passim secutus sum, diligenter indicare, quod in Historia praecipuum puto. Verum crescente materia iam animus est, alio tempore Io. Mauritiū Principis Vitam uberiori commentario illustrare. Quocirca nunc supersedeo.

